

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Ludwig Engel

Formulae Loquendi Nonnullae, Ex Doctrina Logica, Praesertim Veterum, Derivandae, Observationibus Philologicis, Historicis, Philosophicis Illustratae

Pentas Prima

Rostochii: Rösen, 1755

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn822028999>

Band (Druck) Freier  Zugang 




Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn822028999/phys_0001](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn822028999/phys_0001)

DFG

Ec. 1045 1.2.



FORMVLAE LOQVENDI
NONNVLLAE, 23
EX DOCTRINA LOGICA,
PRAESERTIM VETERVM,
DERIVANDAE,
OBSERVATIONIBVS
PHILOLOGICIS, HISTORICIS, PHILOSOPHICIS

ILLVSTRATAE

JOANNE LUDOVICO Engel,
PHIL. RATION. PROF. DVC. PVBL. ORD.



10452 PENTAS PRIMA.

ROSTOCHII, EX OFFICINA RÖSENIANA, CIOIOCCLV.

E. 10452 (6)

33 X 34 X 33

EX DOCTRINA LOGICA.

VERGESSENES

DEUTSCHE

LOGICO

WILHELMUS HEDDING

BERLIN

LOGICO

WILHELMUS HEDDING



LIBRARY

BRUNNEN



Q. D. B. V.

§. I.


Hominem usitato more loquendi per animal rationale
definiunt; nec tamen abs nonum fuerit, eundem stilo
varroniano describere animal vocale. (a) Certe,
sapientissimus Creator a ratiocinandi facultate facul-
tatem sermocinandi noluit se junctam, eoque pro-
posito dedit rationem, orationem ut adderet, atque hanc addi-
dit, ut in majorem usum illa indita esset. Quid, quaeso, homo,
si conditus esset elinguis? Brutum quidem non statim diceres,
quam omnino rationalis esse sine sermone posset; attamen ea tum
concessa foret ratio, qua sibi quisque saperet, non item aliis.
Atque, si animi sensa vel sua exprimere, vel aliorum percipe-

A 2

re

- (a) M. VARRO de re rust. I. 17. edifferens, agri quibus rebus co-
lantur, adpellat *instrumenti genia vocale*, homines & servos; *se-
ni vocale*, boves; *mucumque*, plaustra. Facete quidem hoc dictum,
sed ita; ut in re nihil desideres. Voce articulata, sive sermo-
ne sola, quantum scimus, hominum species gaudet: hinc satis
differentia in describendo homine adest.

E. 10453 (6)

re nemo posset: quantum ad servandam vitae societatem, quantum ad praefenda mutua officia, quantum ad statum nostrum perfectiorem reddendum, quantum denique ad amplificandam divini Numinis gloriam deforet nobis. Quum ergo praecipuus quidam usus rationis sit in eo, ut cogitata cum aliis communicemus: de modo communicandi divina prospexit sapientia, & videns, qualis homini debeatur, concessit sermonem, quo nullus alter ei neque perfectior esse, neque exoptatior potest. Namque ea sunt commoda linguae, recte debiteque sermocinantis, nemo ut existat tam disertus, ut singula enumeret, nemo tam eloquens, ut praedicet digne.

§. II.

Ut autem propter rationem est oratio: ita quoque tota pendet atque dirigitur a ratione, qua omnino opus est, ut fari sciamus. Quid enim oratio, nisi ore facta communicatio eorum, quae mens secum volvit, ut, ni cogites, profecto loqui quoque nescias. Sola quidem memoria, minus ceteroquin vel advertente, vel operante mente, quae ante nota atque percepta sunt, reddi posse, nemo temere negaverit, quum illud in pueris, preces alias recitantibus, subinde obseruemus. At certissimum tamen discrimen constituendum est inter loquendi et recitandi; interfandi atque imitandi facultatem. Sic enim vel avium quaedam species, psittaci et cornices, hominum imitari voces discunt; num vero sermocinari? Mihi quidem etiam inter voces, tantum non deceptrices referendae videntur, quibus sermone labentes, in vernacula latinorum, linguam accusant, quod praeccurrat mentem. Lingua errans non praeccurrit mentem, nisi rectius cogitaturam, excipit autem et exprimit labentem; verique hic error et praecepsititia mentis est, cui tum volubilitate sua lingua praeoperanrer adest. Hic nexus rationis atque orationis.

§. III.



§. III.

Operam dederunt homines, ut facultatem ratiocinandi penitus inquirerent, inquisitam recte explicarent, regulisque et completerentur, et juvarent: unde orta ea pars philosophiae, quam rationalem, sive logicam vocamus. Ad labo- rarunt quoque, ut excoletetur oratio: atque hinc non modo ars, quae grammatica vocatur; sed et rhetorica, aut si mavis, oratoria inventa est. Nemo autem bonus orator, immo nec accuratior grammaticus dicendus, nisi idem bonus sit logicus. Scilicet grammaticae genio linguae inservit, puritati castitatiique consultus sermonis, & genuinam compositionem docet. Haec ubi definit, ibi incipit rhetorice, spectans eloquentiam: quare tum de ubertate sermonis, tum de verborum delectu, tum de diversis formis dicendi tractat, stilumque curat cultiorem. Utramque vero logica dirigit, docetque, quomodo et intelligenter loquamur, et disposite, ut alter alterius mentem capiat. (b) Ceterum haec quoque, grammaticae juncta, parit artem quamdam criticam, quae de verborum significatibus, variis loquutionibus, adagiis, adlusionibus, et singularibus loquendi formulis dispieere, ac ita judicare docet, ut ad genesis, sensum, et usum singulorum attendamus.

§. III.

Libuit in praesentiарum arti huic, in linguis haud post-habendae, speciminibus quibusdam litare, atque in certas quasdem formulas inquirere. Quænam ig. ur illae? Dantur loquutiones, quæ ex doctrina logica, praesertim ut est a veteribus exulta, manarunt. Manarunt autem aliae in linguam germanicam e. c. Er kan nicht fünf zehlen; Einem die Künste abfragen; Einen durch alle Prädicamente ziehen; Erwas an seinen Ort gestellet seyn lassen. Es gehet einem ein Licht in der

A 3

Sache

(b) Comp. JAC. FR. REIMANNI hist. litterar. antediluv. p. 125.

E. 10452 (b)

¶ 6 ¶

Sache auf: Cui cognatae sunt haec: Einem Licht wovon geben,
Licht in einer Sache bekommen, Schon Licht haben. Alias latini-
tatem servant in primis; aliae denique utriusque linguae commu-
nes sunt, partim et permisto hibridoque sermone efferuntur:
Quas quidem, si annuerit Deus, proximo dabimus tempore.
Commemoratas germanicas illas nunc observationibus quibus-
dam philologicis, historicis, philosophicis illustrare instituemus.

§. V.

Tritissima est, quam primo loco commemoravimus, for-
mula: Er kan nicht fünf zehlen. Adhiberi ea tuevit, quum
quem simplicitatis, et hebetioris ingenii insimulamus. In pri-
mis et, si quis facie aut gestu simplicitatis speciem p[re]se ferat,
qui tamen satis versutum se dicit, factisve suis comprobar,
levi augmento dicimus: Er sieht aus, seu, sonst sieht er aus,
als wenn er nicht fünf zehlen kan. Item quum videmus ali-
quem pallescere culpa, attonitoque similem stare, voce sup-
pressa; et, si quis apud alios, minus sibi familiares notosque,
veretur et stupet; quae puerorum in primis verecundia est:
invective solemus dicere: daß er nun nicht fünf zehlen kan!
Unde vero arcessenda loquutio? Forte originis rationem quae-
res in eo, quod numerus quinarius admodum est exiguis, ut
oporteat bardum esse, qui vel istum non ineat. Dubitem tamen,
num alias quinarius numerus veniat pro exiguo: quin
potius, unitatem, aut ad summum ternionem adpellare usu
venit (c). Neque huc facit, quod gentium doctor quinque verba
dixit pro paucioribus, quae, sensu liqueate, proferre malit,
quam decem milia non intellectorum (d). Adtendendum enim
est,

(c) Sic enim dicimus: Nur ein Wort! Ich will es mit zwey, dreyen
Wortensagen: uti et latine: uno verbo, tribus verbis!

(d) Vid. I Corinth. XIV. v. 19.

est, quanam oppositione Paulus utatur. Scilicet non dixit quinque, nisi in relatione ad millia decem, ut poneret numerum, multo quidem minorem, attamen dividendo isti toti adaequatum. Arithmetice loquitus innuit, orationem bis millesima parte contractiorem, dummodo luculenta sit et perspicua, a se praeferrri orationi, quae peregrina sit, et minus intelligatur. Ergone ratio triti petenda a facta eorum, quos illo notamus, comparatione cum puerulis, quorum adhuc ea est infantia atque imperitia, ut saepe in computandis quinque suis digitis errantes rideamus jucunde. Sentiant ita alii, qui et locum allegare poterunt esaianum (e), ubi perquam exiguus numerus describitur per eum, quem puer scribat. Profecto illum, qui vel quinarium inire nequit, per hoc ipsum puerulis accensendum, vel adsimulandum esse, minime diffitemur. Poterit tamen aequa verisimilis alia conjectura adferri. Scilicet, quemadmodum dicimus: Er hat einen Sparren zu viel, quasi aliquis sensu quodam abundet: ita e contrario pronunciamus: Er kan nicht fünf zehlen, sensusque fuerit, in quinario sensuum externorum numero unum vel alterum deesse, saltim deesse videri.

§. VI.

Sed ulterius indagemus originem: quam quidem rectissime in logicis invenire licebit. Duplex autem est adhuc ratio inveniendi. Ad locum, paullo ante excitatum, paulinum de verbis quinque annotavit THOMAS ille AQVINAS, ideo dictum esse Quinque, quod oratio perfecta debeat habere Quinque, subjectum, prædicatum, copulam verbalem, determinationem subjecti, et determinationem

(e) Vid. Iesai. X. v. 19. Scholia ebraica, referente jo. DRUSIO, enarrant de numero denario, quem significet littera Jod, prima littera vocis ebraicæ, h. l. silvam denotantis. Criticor. Sacror. tom. V. p. 238. Scribat ergo, ex ista hypothesi, puer bis quinque: quantillus erit numerus, quem scripsérit, five numeraverit puerulus? num quinarius?

E. 10452 (6)

minationem praedicati. Quam ejus sententiam recenser **ERASMUS ROTEROD.** (f), sed et rejicit; recte quidem, quoniam Scholasticum quidem ingenium; non vero mentem paulinam tale quid potuit subire. At forte rectius, et magis convenienter, circa nostram loquutionem, dictae illae partes propositionis cogitabuntur? Sic enim, quum quis de altero enunciat, Er **Könne** nicht fünf zählen, idem hoc erit, ac si dixerit, aquam haere-re homini, ac stupidorem eum esse, quam ut unicum judici-
cium, et propositionem aliquam formet. Germanice: Er wisse nicht so viel zusammen zu bringen, als zu einem richtigen Urtheil, und Sahe gehöre: so duzig sey, oder scheine er doch. Placeret forte investigatio, nisi daretur alia, eaque convenientior. Et quis est, quaeſo, historiae artisque logicae tam rudit, qui de quinque sic dictis praedicabilibus, aut si mavis, universalibus Aristotelicorum haud quidquam unquam inaudiverit? De ipsis universalibus nihil jam adferemus, nisi hoc, ea esse concep-tus abstractos, et praedicabilia dici, quod in enunciatione praedi-carri, seu praedicti locum sustinere possunt. Vixque etiam opus est innuere, notiones, quae genus, species, differentia, proprium, et accidens vocantur, quinariū universaliū nu-merū constituere. At numerus hic omnino jam in censum venit. Qui etsi hodie ad ternionem revocatus est; quoniam, quod de ſubjecto quodam praedicari potest, id vel essentialē, vel attributum est, vel denique modus: ſufficit tamen, quod olim quinque praedicabilia numerata sunt. Numerata dico: nec enim obiter veteres de numero quoque ſuorum praedicabilium praeceperunt, multaque diſputarunt. Hinc fueritissimae olim atque nunc ſunt expreſſiones: Quot numerantur praedicabilia? Ari-stotelici quiaque numerabant praedicabilia: Die Aristotelici zeh-
len

(f) In Annotat. N. T. ad l. c. Immo apage h. l. omnem hanc, et aliorum quorundam curiositatem in numeris. Si later mysterium in numero quinario; dicatur etiam, quid ſpi-
rent verba decem millia.

len fünf Arten der Universalien (g). Nilque jam magis conveniens et accommodatum est, quam inde deducere illud: Er kan nicht fünf zehlen. Cujus hic sensus erit: Nec genus ille, nec speciem, nec differentiam, nec proprium, nec denique accidens discernere atque enumerare novit: *ἄλογος* ergo est, rudisque formandarum notionum, et nesciens, quid de quo praedicari possit, ac debeat. Germanice: Es fehlet ihm wol aller Begriff, so daß er auch die algemeinen Begriffe von Dingen nicht überzuschlagen weiß, da ihrer nur fünf sind: So dum, einfältig, und unvernünftig ist er, oder stellest sich je also: Er kan nicht fünf zehlen! Haec illa formula prima.

§. VII.

Sequitur secunda: Einem die Künste abfragen. Ex schola hanc provenisse, atque ad scholae quemdam morem adludere, vel ex sola artium, quae in ea sit, mentione constiterit. Usurpatur eadem in schola, quum quis vult examen subire; sed praeterea in vita occurrit communi, quum aliquem callide ita adgredimur, ut rem veritatemque exploremus; nec a foro aliena est, quando inquisitio judicialis instituitur. Immo vero in singulis istic casibus dici suevit: Man wolle, man werde ihm schon die Künste abfragen, seu, man habe ihm die Künste abgefraget, et sic porro. Derivanda est autem loquutio a methodo disputandi quondam primaria, hoc est, *socratica* (h), quae ita instituta fuit,

(g) Vide sis cel. JO. GEORG. WALCHII philosophisches Lexikon Artif. Universale p. 2750. c. 1. A. CORVINI institut. phil. rat. §. 366. schol.

(h) Dicitur *socratica* a SOCRATE, non tamquam primo auctore; at correctore et emendatore. Quam enim methodum aut ALEXIMENES TEIUS, aut ZENO ELEATES instituit, eam perfecit SOCRATES, multo et acuminis et pondere contra Sophistas eadem usus. Comp. cel. J. G. WALCHII hist. log. lib. II. c. 2. §. 43. et cel. JAC. BRUCKERI hist. crit. philos. tom. I. p. 550.

B

Ec. 10452 (6)

suit, ut quaereret alter, alter ad quae sita responderet, donec veritas, quantum fieri posset, esset inquisita. Quae quidem disputandi ratio quum hodie paullo ignotior sit, atque ab aliis laudetur, qui dignitatem ei suam restitutam cupiunt; ab aliis vero cuperetur, ac in perpetuum relegetur: (i) lubet hoc loco in exemplo eamdem exhibere. Ita fiet, ut, qui judicare possunt, ipsi ferant judicium, nosque etiam circa loquitionem nostram, quod volumus, rectius obtineamus. Adhuc tamen observandum, ejus generis disputationem, ex veteri sua institutione, non semper polemicam; sed aliam quoque didascalicam fuisse, ut ad methodos docendi referri debuerit. Nos jam primum curabimus genus (k). Quumque tritum etiam dictum sit: *Mundum regi opinionibus*; istud quidem thema esto, de quo *Quaerens* et *Respondens* tandem inter se convenient.

§. VIII.

Ipsa jam disputatio haec erit:

Quaerens: Putarem, universum mundum a nutu ejus pendere, qui illum condidit, et adhuc conservat? *Respondens*: Erras, si pro universo, sive serie ac systemate rerum creatarum et existentium omnium accipis mundum, de quo loquor. *Qu.* Quem ergo ex innumerabilibus illis, quos *Democritus* et *Anaximander* crediderunt, mundis intellectum vis? *R.* Consistamus, quae so,

in

(i) Legantur judicia methodum hanc in primis commendantium
DAN. GEORG. MORHOFI, in polyhist. tom. I, lib. I, c. XV. §. 55.
JO. CLERICI in logica part. IV. c. IX. CHRIST. THOMASII in cautel.
circa praecogn. jurisprud. c. X. §. 60. Sed nec negligantur ju-
dicia eamdem methodum omnino posthabentium ANDR. RUEDI-
GERI de sensu veri et falsi lib. IV. c. V. §. 2; J. FR. REIMMANNI in
hist. antediluv. p. 132; JO. GOTTL. HEINECCI in phil. ration.
c. IV. sect. III. §. 213.

(k) Pro exemplo alterius generis accipendum est, quod exhibuit modo laudatus HEINECCII l. c. neque enim disputationem illud continet, sed meram institutionem.

in hoc orbe, quem incolimus, terrarum: nam et ille sivevit mundus adpellari. Neque tu ignoraveris, quod sane ex ipsis bibliis constat, metonymice mundum dici incolas terrae rationales. Qu. Siccine haec sententia tua, homines atque res humanas ipsorum hominum subjacere opinionibus? Sed ludit in humanis divina potentia rebus. Nonne sapientiae divinae parent omnia? R. Cum sapientia Numinis non pugnat, quod libertatem sentiendi hominibus concessit: sic nec pugnabit, quum suis hi abundant ingenii, et opinionibus locum faciunt. Qu. Per opiniones autem has quid intelligis? R. Judicia hominum, insufficiente adhuc ratione nixa, quae interdum possunt esse vera; saepius tamen praeter rem formata sunt, et in vanas, falsas, quid? quod in absurdissimas persuasiones abeunt. Qu. Quid audio? Eane, per quae non licet adlerere, mundum opinionibus regi? Quid enim est regi? R. Terminus significat, eam esse opinionum vim et efficaciam, ut, quidquid homines instituant, agant, omittant, quodque instituta illorum consequitur, ex opinionibus proveniat, hisque tribuendum sit. Qu. Num vero hoc pacto ullum obtinebit in orbe regimen? Nonne summa rerum omnium confusio? Quanta enim est opinionum diversitas? Nonne summa imis miscebuntur? siquidem opinionum quoque maxima est contrarietas. R. Sufficit, quod sapientia, quae se ubique et semper exserit, divina ad optimum finem cuncta dirigit. Qu. Recte tamen dixerit b. Lutherus: O doxa, doxa (δόξα enim Aristoteli graece dicitur opinio) quam communis es noxa! R. Ne divellas, quae ille conjunctim ita protulit: Virgilius facit multos poetas malos; Philippus multos malos dialecticos: O! doxa, doxa, quam es communis noxa! Perstringit igitur dialecticam, istis temporibus nondum satis reformaram. Jam, quid inde? Qu. Forte tantum homines singuli suis ducentur sententiis? An vero in societatibus etiam regnat opinio? Certe tantum in minoribus regnabit: itaque non regitur mundus. R. Et singuli homines, et integræ societates, etiam majores, et omnino mundus, opinionibus reguntur. Qu. Quomodo jam in orbe poli-

politico dominabitur prudentia? et in orbe litterato scientia? et in orbe religioso ipsa religio? R. Res est in vado. Ab ultimo ordinar. Veram, quam quidem intelligis, religionem ianumeris opinionum monstris impugnari, negari nequit; et tristis loquitur experientia, hominum plerosque fingere sibi religionem, quae deinceps toti reguntur. At, quae Dei gratia est, vera religio perstat, imperatque, et per integras gentes caput extollit: veritas victrix! Qu. Dic, quaequo, quaenam in republica litteratorum res sit? R. Quot capita, tot sensus. Eclectici sumus, et ducimur opinionibus. Qu. Nonne vero nobis met ipsis, aliisque demonstramus, hoc est, ex principiis indubitatis conclusiones deducimus? R. Exspectes saecula, quid saecula? tempora exspectes, quibus jam demonstrata erunt demonstranda. Hinc, quae ferrebat paullo ante, tepere jam incipit, et paulatim frigebit demonstratio, quum in dies appareat magis, quid discriminis inter demonstracionem et demonstrandi pruritum intercedat. Qu. Sed uti ex toto orbe non tolles solem: sic nec ex orbe litterato scientiam. R. Absit, ut tollam; sed neque tu lunam tolles, hoc est, mutabiles opiniones, et tot micantia sidera sententiarum, de quibus nihil certius constat, quam eruditos iis regi. Sunt et plurima, adquae non pertingit scientia humana, sed tantum opinio. Ipsumque etiam universi hujus systema, quod ad homines, regitur opinionibus, aliter scilicet ex hypothesi ptolemaica aliter ex copernicana, aliter ex tychonica. Nihil denique tam lepidum, aut absurdum cogitari potest, quod non dixerit aliquis Philosophus Qu. Supereft dubium de orbe politico. Quo te modo expedi es, quum certe ille regatur prudentia? R. Hic te remittam ad aphorismos prooemiales Georg. Hornii in eleganti libello, quem orbem politicum inscripsit. Inter eos scilicet retulit ille hoc, quod scitum Pontificis cuiusdam romani fuit: mundum exigua gubernari sapientia. Eleganter et rem ipsam edisseruit dissert. I. in volum. dissert. historico-politicar. Adam. Reckenbergius, Hornio stipulatus. Qu. Sed tuam ipsius sententiam iam perquiero. R. Stat

Stat sententia, homines opinionibus regi. Et sapientissimus quisque in eo differt ab aliis, ut horum opinionibus, ad finem obtinendum suum, ut feliciter noverit. Ipsa etiam regnandi prudentia hominum subiectorum fulcitur opinionibus. Atque ut quisque politicus est solertissimus in aliorum, et, quantum fieri potest, totius gentis opinionibus indagandis, regendis, utendisque: ita maxime omnium omne tulerit punctum. Regantur homines, quantum non officiat pietati, suis ipsorum opinionibus, quibus certe reguntur, nec invite. *Qu.* Parum abest, quin in sententiam concedam tuam. *R.* Cogites ergo tot entia moralia, quae hominum exspirante opinione, simul exspirant, statimque destruuntur. *Qu.* Id vero edistras, oportet. *R.* Longum foret omnia persequi. Quaeram tantum: quid honor est aliud, quam opinio de alterius perfectione, seu de debitis illi praerogativis. Qua quidem opinione omnes reguntur ac singuli, et ita quidem reguntur, ut si illa abesset, ipsa res publica, et inter homines ordo minus sibi constaret, quem nemo neque reverentiam alteri exhibiturus, neque obsequium superioribus praestiturus esset. Lubens praetermitto, quae de opinione, circa pretia rerum, divitias, nummos, itemque circa voluptates deliciasque regnatrice addi possent. *Qu.* Neque ego nunc de societatibus simplicibus, aut de hominibus singulis amplius quaeram: Facile enim intelligo, omnes atque singulos homines opinionibus suis obsequi, ut opinionibus mundus regatur.

S. VIII.

En specimen disputationis socratae⁽¹⁾, ex quo simul constat, quaenam ejus sint leges. Qui enim quaerit, is I. non quasi impugnare, sed quasi doceri atque convinci velit, rem suam agat; II. ad alterius sententiam ita attendat, ut vel de singulis

B 3

gulis

(1) Disputationes Jobi cum amicis, et Christi cum Judeis, Pharisaeis, Sadducaeis si cogites; plura exempla habebis.

Ec. 10452 (6)

gulis verbis, nisi per se satis clara sint, rogitet; III. quae contra adfert, per modum consequentiarum disponat: regnat enim in hoc genere maxime oppugnatio indirecta, et *κατ' αὐθεων* III. per quaestiones ut constanter procedat, opus non est: mixta est methodus socratica, et ad dialogos proxime accedit. (m) Respondentis autem quodnam est munus? I. Cavendum ei est, ne incaute respondeat; respondendum autem accurate. (n) II. sua in respondendo libertate utetur, non abutetur; candide autem ac liberaliter mentem aperiet (o). III. quae alter quasi unica quaestione complectitur, dividat, ad singula sigillatim responsurus: facilis in hoc genere, et quasi domestica est fallacia plurium interrogationum. IIII. in omni disputatione hac videat caveatque, ne alter, statum generalis et palmariae quaestionis deferendo, extra cancelllos egrediatur: quae digressio peculia-ri nomine fallacia *ἐπειζητίσεος* dicta est. Ceterum in hoc di-
sputandi genere variis illustrationibus ubique locus relinquitur. Quibus ab utraque parte debite observatis, impugnatae senten-
tiae aut absurditas patebit, aut evicta confirmataque erit veritas.
Ita censem!

§. X.

Sed paullo latius digredior: revoco me ad id, quod pro-
positum mihi est significare. Nonne instituta eruditorum ex-
amina,

(m) Comp. circa has regulas J. CLERICUS, et A. RUEDIGERUS lo-
cis ad §. VII. citatis.

(n) Adfert hanc regulam QUINTILIANUS, et contrario exemplo
leridoque illustrat instit. orat. lib. V. c. XI. p. 243. edit. ge-
nev. 1637.

(o) Legem hanc olim rigorose nimis, quin sophistice latam esse, vi-
dere est apud GELLUM in noct. attic. lib. XVI. c. II. Licet sane
respondenti sententiam suam plane pleneque edissere: quod
et Socrates concessit.

mina, nonne, quæ in communi vita obveniunt, circumspectæ per-
contations, nonne judiciales etiam interrogations, suis quaeque
modis, sequuntur rationem illius, quam exhibui, disputationis?
Socratica illa disceptatio genus aliquid refert examinis atque pro-
tocolli; et protocollii atque examinis aliquid genus disceptionem
illam refert socraticam. Convenientiam certe vedit **QUINTILIANUS**;
hinc de *interrogatione judiciali* rite instituenda differens (p):
Si quod, inquit, exemplum ad imitationem demonstrandum sit, solum
est, quod ex dialogis Socratiorum, maximeque Platonis, duci potest,
in quibus adeo scitae sunt interrogations, ut, quum plerisque bene
respondeatur, res tamen ad id, quod volunt efficere, perveniat. Ita-
que, ut ad methodum disputandi socraticam, ira ad reliqua,
quae innuimus, examina quadrat omnino formula nostra: *Einem*
die Künste abfragen. Disputationes enim illae artes scientias-
que respiciunt: pariter et examina haec, si erudita sunt, ad artes
scientiasque sunt directa; sin alias sint generis ac fori, tamen
hic non sola valet allusio, quum ea in artes practicas et morales
inquirant. Nam, teste **SALOMONE**, *rectum quidem Deus fecit ho-*
minem; at hic multas quaerit rationes, seu, uti bene vertit LUTHE-
RUS, viele Künste. (q) Hinc perquam dicitur accommodate:
Einem die Künste abfragen.

§. XI.

Tertio loco a nobis memorata formula est: *Einem durch*
die Prädicamente, seu, durch alle Prädicamente ziehen. Cui
formandæ occasionem qui dederint veteres doctrina sua logi-
ca, eaque praedicamentali, dubium esse nequit. Convenit au-
tem illa maximam partem in verbis, et in sensu penitus cum alia,
qua dicimus einen durch die Hechel ziehen. Ubi quidem carmit-
nare,

(p) *Institut. orat. lib. V. cap. VII.*

(q) *vid. Eccl. VII. v. 30.*

E. 10452 (6)

nare idem est, quod crimicari, injuria lacerare, theonino dente rodere, ac inquirere ea, quae exquisitius carpas atque vituperes. Vere etiam praedicamenta hic sunt comparanda pectini, quo carminant linum lanamque, ad segregandam stupam, et eliciendas sordes. Sed de usu sensuque formulæ non recte constabit, nisi, quid sibi velint praedicamenta veterum, quis eorum tum usus, tum abusus sit, intelligatur. Praedicamenta (de pluribus enim hic loquendum) sunt series idearum subordinatarum, hoc est, generum et specierum, vel ad individua usque. Veteresque sub ista appellazione, per varias classes, varios disposuerunt terminos, abstractis notionibus respondentes, quibus ostensum iverunt, quid in consideranda quacumque re finita esset notandum. Vulgo decem constituta sunt praedicamenta, quae vocantur *substantiam, quantitatem, qualitatem* - - sed notiora sunt nomina, quam quae hic crepemus. Neque ad domesticas, in Aristotelicorum familia ortas de suis praedicamentis lites descendimus: quin lubentes praetermittimus ornaria, multo adparatu olim hic ita tractari, disputari, inculcari solita, ut quae non de lana caprina. Usum vero praedicamentorum eum designant, ut ad illa unaquaque res reducatur, et secundum eadem examinetur. Quare, qui logices in oratoriis usum commonstrant, tamquam singulare et inventionis, et dispositionis, et denique eloquutionis artificium commendaverunt juventuti, ut secundum ordinem praedicamentorum naturam proprietatesque nam rerum, tum personarum scrutarentur et proponerent. Difficulter autem hic sejungitur ab usuabusis, eademque ratione, qua quem laudaveris, conquirere poteris materiam vituperandi, turpiterque etiam conviciandi: prorsus non aliter, atque carminando multa purgamenta extorqueri diximus. Atque hinc ortum est tritum illud: *Einen durch die Prädicamente ziehen.* Quod nec alium unquam, nisi pejorem sensum spirat. Illud adhuc observandum, vulgarioribus praedicamentis, et proprie dictis, subjungi alia, analogice sic dicta,

dicta, hoc est moralia. (r) Quumque ad illa proprie res tantum naturales referantur; secundum haec deum rite instituitur examen personarum, rerumque moralium. Utriusque quidem, maxime tamen posterioris generis praedicamenta respicit tritum, pluries excitatum de raptatione, si vocabulo bene utar, sive de laceratione praedicamentali.

§. XII.

Exemplum jam deesse puto, quo res non optima, nempe das ziehen durch die Prädicamente, quam optimè illustretur. Age igitur, jubeamus via regia (quo nomine et praedicamenta veniunt CASP. KNITTELIO) (s), regia hac, inquam, via jubeamus incedere atque transire famolissimum imperatorem Wenceslaum. Wenceslaus hic quid hominis fuit, aut inter quas *substantias* referendus? Hominem crederes, nisi monstrum hominis omnes et cognovissent, et adpellitassent. Eundem dixerunt Sardanapalum, Thersiten, Porcum spurcum, den Gau-Wenzel. De quantitate rogas? Inutile terrae pondus fuit, et tantus, quantus potuit in virtutis esse maximus, omnium omnino, quibus imperavit abjectissimus, summusque imperans, quo nemo alter indignior summo imperio. *Qualitas* enim cognoscitur, dummodo ad impotentiam mentis, hoc est, ad stoliditatem ejus, et ad promitudinem voluntatis contra leges tum divinas, tum humanas agendi respicias. *Aetio* an illa fuit? bona nulla, quam plurimae malarum. Sacro baptis-
mati

(r) Vide sis de praedicamentis moralibus optime tractantes virum immortal, memor, FRANC. ALBERT. AEPINUM in introduc. in phil. part. I. pag. 43. seqq. et CHRIST. WEISIUM in doctr. logica pag. 168. seqq.

(s) In libro, cui titulus: via regia ad omnes scientias et artes cert.

matis fonte mergendus, eum coeno suo polluit, iterumque aram, quum bimus esset rex coronandus. Regno paterno, imperioque, quod postea negabatur, inique potitus, omnem ejus curam adeo abjecit, ut latrociniis infesta redderet itinera, ipse pessimus latro. Ceterum artibus magicis operam dedit. Dignus itaque exstirit, qui et in *praedicamento passionis* esset: Ignoscendum hic barbarismo, namque haec etiam loquendi formula usu recepta est, in *praedicamento passionis* seyn. Plus autem vice simplici Wenceslaus Pragae publico retroque carcere, aliaque vice Viennae captivus detentus fuit, tandem et exutus imperio, quum ad frugem meliorem nunquam rediret. Mira fuit *relatio*, isque mutuus caesarem inter et carnicem respectus, ut ille fere nunquam solus esset, semper hunc non modo maxime sibi familiarem, sed et compatrem, habens comitem atque socium infandorum, quae patrabant, facinorum. Exspectabant omnes, quando is, qui in exitium hominum natus erat, esset periturus. Non praetereundum hoc loco videretur, eo imperante, vixisse Bertholdum, nomine et nomine Nigrum, monachum germanum, qui pulverem pyrium bombardasque primus invenit. Tandem aliquando, annos LVI. natus, Wenceslaus fato infausto concessit, prandens, ira concitatus, et correptus apoplexia, quod praegustator de seditione Hussitarum cognoverat, nilque ipsi retulerat. O! ter quaterque beatam tum Germaniam, ubi quidem omnis haec acta est fabula! Amisisti tum Germania eum, a quo non modo missa eras, sed et prorsus amisila videbaris. Namque ea fuit animi levitate Wenceslaus, ut judicent historici, illum, si habuisset emtores, totum imperium venditum fuisse. De *situ* gestuque imperatorio judicandum ex perpetua hominis crapula, et reliquis volupratum, quibus se dedidit, generibus. Dubitandum sane, an unquam recto tali steterit. Tandem si vis *habitum* imperatoris cognoscere, eum quaequo intueare, quum aliquando, facta potestate, ex carcere balneum est ingressus,

FORMULÆ AD LOQUENDI

20 19 20

Ius, squalorem et fordes corporis ablutum. Tum enim, abjecto omni pudore, sine omni habitu, nudus, opera comitantis balneatricis, quae et ipsa nuda fuit, excessit, evasit, erupit. Erupit, sed sic minus evitavit, ut sub censuram praedicamentalem vocaretur omnem, seu, daß man ihu durch alle Prædicamente ziehen möchte (t).

§. XIII.

Indaganda nunc formula loquendi quarta: *Etwas an seinen Ort gestellet seyn lassen; quae tamen et concisius ita effertur: Etwas dahin stellen.* Utimur autem illa significaturi, nostra non referre, neque esse propositum nobis, ut hoc vel illud accurata jam mentis trutina examinemus; quin potius nos ita dimittere, ut neque adfirmemus, neque negemus. Sed et dubitantiam haec formula esse potest. Jam ad ejus originem quod attinet, cogitemus, quid sibi velit topice Aristotelis, eaque miro studio subsequentibus temporibus exculta a multis, et ita commendata, quasi in litterarum studiis utramque faciat paginam. Putares certe, in ea deprehendi aurifodinam Scientiarum, reconditae promtuarium sapientiae, sedem doctrinarum atque argumentorum, una cum tractandi ratione omni eloquentiae fontem ac scaturiginem, cynosuram bonae mentis, ipsum denique templum oraculi litterarii. In certos quoque et specialiores locos distributa est topice: unde nomen est *locorum topicorum*, non satis quidem aptum illud; at usu tamen receptum comprobatumque. Horum certe locorum agi

C 2 re-

(t) Facile sic quidem est reprehendere, optandum vere, ut imitari difficilius, si fiat id, ut plerumque fit, modo injusto et christianis indigno. Nos hic tantum exscripsimus, et secundum praedicamenta disposuimus, quae dudum in historicorum monumentis extant. Comp. CHRISTIAN. MATTHIAE theatr. histor. p. 992. seqq. aliisque.

E. 1045² (6)



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rostdok/ppn822028999/phys_0023](http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn822028999/phys_0023)

DFG

respectum in illa, quam excitavimus, loquendi formula, putamus. Proinde, si quis dicat, er wolle dis oder das an seinen Ort gesellet seyn lassen, idem hoc erit, ac si dixerit: nolle se ad ductum topices, aut in primario quodam ejus loco, rem inquirere; egerint id alii, locos adeant, remque omnem examinent, ordinent, pertractent. Itaque res in sede sua investiganda relinquitur: Sie bleibt an ihren Ort gesellet. Multum nostra aetate locis illis topicis derogatum est, et recte quidem; fortasse tamen plus, quam debebat: est enim aliquis eorum usus in juvandis atque excitandis juvenum ingenii. Verum istud non obstat, quo minus inde laxerit, locumque adhuc obtineat dicta loquutio.

§. XIII.

Quinta formula, eaque ultima, quam hac vice tangemus, est ea: Es gehet einem ein Licht in der Sache auf: cui tamquam cognatas adjunximus has: Einem Licht wovon geben; Licht in einer Sache bekommen; Schon Licht wovon haben. Non hodie demum, aut nudius tertius coepit adpellari *lumen mentis*; priscis ante saeculis, et philosophi, et oratores, et poetae illud commemorant. Testes hic plures proferre opus non est; vel unus CICERO instar omnium erit, qui haec haberet: *Hic tu, Africane, ostendas oportebit patriae lumen animi, ingenii, consilii que tui: Vos, vos obtestor, Dii immortales, qui meae mentis lumina praetulistis, quem consensum exstinxii conjurationis: Prope cunctis civibus lumen ingenii et consilii sui porrigerem atque tendere: Hanc a natura propriam lucem accipere: Lucem auctoris fortasse desiderant sententiae.* (v) Addam tamen, propter eviden-

(v) De somn. Scip. cap. II. Antequ. iret in exil. cap. 9. De orat. 100. et pro dom. 236. Pro Client. c. 24. De uar. Deor. I.

FORMULAE LOQUENDI

21

evidentiam suam, hoc COLUMELLAE: (x) *Quae praenoscere sine lumine animi, et sine exquisitissimis disciplinis non quemquam posse crediderim:* Simul et unicum poetae, LUCRETII (y). *Clara lumina praepandere menti alicujus, i. e. scientiam.* Consultum vero et duxit princeps philosophorum nostrae aetatis, CHRISTIAN. WOLFIUS, de hocce lumine, quod ille *animae, alii mentis, item rationis, intellectus, cogitationum lumen dicunt, haud obiter, et loco non uno tractare* (z). Quique eum sequuntur, atque in his logici, hanc tractationem ita putant esse suam, ut religioni sibi ducant, si vel in ipsis suis compendiis sicco pede rem praeteriverint (aa). Eamdem rem nos hoc loco inquiremus, dictarum formularum loquendi rationem inde reddituri.

C 3

§. XV.

(x) de R. R. I praef. 23.

(y) de R. N. I. 145. *Animi Lumen, non animae dixerunt veteres.* Animus euim dictus est, quo sapimus et intelligimus; anima vero, qua vivimus et sentimus. NONIUS de propter. serm. c. 5. n. 20. SERVIUS ad Aen. 10, 487. *animus, inquit, consilii est; anima vitae.* Hinc ille solius est hominis; haec non item. Mens vero animusque eadem sunt. LUCRET. 3. 94.

Primum animum dico, mentem quam saepe vocamus,
In quo consilium vitae regimenque locatum est. cert.

(z) Vid. ejus psychologia empirica §. 35. seqq. Item vernünftige Gedanken von Gott, der Welt, und der Seele des Menschen, cap. 3. §. 203. seqq. et Anderer Theil der Gedanken von Gott u. s. w. cap. 3. §. 59.

(aa) Vid. e. g. Compendia Baumeisterianum §. 84. seqq. et Corvinianum §. 21, seqq.

E. 10452 (6)



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rostdok/ppn822028999/phys_0025](http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn822028999/phys_0025)

DFG

§. XV.

Quaeretur jam de fundamento, sive de ratione, cur de lumine mentis dici queat: quam quidem rationem in duplice troppo, metaphora atque metonymia deprehendere licet; quamvis diverso modo. Miraris fundamentum adeo tropicum? Sed non tam morosi sunt, neque tam pervicaces philosophi, ut non ipsi migrant legem, quam alias perquam rigorose de non admittendis terminis impropriis tulerunt. Aperte id jam loquitur vox luminis: lumen enim, proprie dictum, num in mente datur? Obtinet ergo significatus impropus, et primum quidem *metaphoricus*. Lumen naturale, atque in mundo materiali obvium, recte describitur per id, quod efficit, ut circumjecta corpora in oculos incurvant, et a se invicem recte discernantur. Per similitudinem ergo lumen mentis vocabitur, quod itidem praestat, ut nos ea, quae in repraesentatione diversa, et in cogitatione haud confundenda sunt, distinctim cognoscamus. Jam vero si scias, quid sit attendere, reflectere, abstrahere, judicare, ratiocinari, haud nesciveris quoque, per hosce actus obtineri, ut clare aliquid, ut distincte cognoscamus, perspiciamus. Itaque in attentione, reflexione, et reliquis illis facultatibus inesse dicendum est id, quod lumen mentis vocatur (bb). Num vero etiam communia illa, quae dicuntur, principia rationis, quorum alia formam, alia materiam ratiociniorum spectant, lumen mentis, seu rationis dicenda sint; quoniam in ratiocinando ipsi praeluent: illud in medio jam relinquisimus (cc).

§. XVI.

(bb) Comp. Cel. Jo. PET. REUSCHII *Systema logicum* cap. III. §. 93.
pag. 56. seq.

(cc) Comp. cel. WALCHII *philosophisch Lexicon Art. Licht der Vernunft*
pag. 1642.

FORMULAE LOUVENDI

23

§. XVI.

Nostrum vero est, ad significatum quoque *metonymicum*, quem pariter hic valere diximus, respicere. Nimirum, lumen hic appellatur, sed intelligendum est id, quod per lumen efficitur, illudque consequitur, hoc est claritas. Quo quidem sensu externum lumen, seu in corporibus obvium, est conditio ea, qua corpora illa sunt luce circumfusa, atque obtutui se nostro clare distinetque percipienda exhibent. Ni enim luce radient sua, non cognoscuntur: quemadmodum e. c. lunam non videmus, nisi in eo statu, quum lumen suum a sole accepit. Lumen vero mentis item jam dicetur status, in quo versatur illa, quando ita aliquid cognoscit, ut et sibi ipsa patescat, atque conscientia sit, et, accedente symbolica significatione, ab aliis quoque perspici possit. Quemadmodum enim oculus neque videre, neque videri potest sine lumine: ita nec mens nostra, si luce seu claritate destituatur, satis vel cognoscit, vel cognoscitur. Atque hinc est, quod *wolfr. (dd)* et alii philosophi lumen animae, sive mentis per claritatem perceptionum, vel per statum clararum atque distinctiarum idearum definiunt. Recte quidem illi; at istud tamen non est ita capiendum, quasi lumen animae ad solam primam spectet mentis operationem: namque se etiam in reliquis exserit. Quid enim formare judicia est aliud, quam clare distinetque cogitare idearum relationem: idemque vel magis sit in construendis ratiociniis, quae ejusmodi lucidis judiciis constant. Brevibus, lumen menti tribuendum est, quum haec, per facultates suas supra memoratas, ea gaudet perfectione, ut res accurate et cognoscere, et perspicere queat.

§. XVII.

(dd) *Pyscholog. empir.* §. 35.

E. 10452 (6)

§. XVII,

Juvat adhuc de ejus luminis tum opposito, tum gradibus quaedam addere, atque sic demum ad explicandas nostras pergere formulas. Oppositum sunt mentis tenebrae, de quibus jam facile erit judicium ex iis, quae de mentis lumine dicta sunt, quum oppositorum opposita sit ratio. Naturales tenebras dixeris, quae nos impediunt, quo minus obvias res et praesentes, sanis licet oculis, discernamus; immo quae efficiunt, ut illas prorsus non cernamus. His ergo comparandae tenebrae mentis sunt omne id, quod menti obstat, quo minus clare distinetque rem cognoscat; quodque eam in cognoscendo vel retardat, ut incuria et praejudicata opinio; vel prorsus cohicit, ut naturalis impotentia, aut imbecillitas. Omnia enim haec mentem obfuscant contenebrantque: quin unum solum satis tenebrarum inducit. Porro tamen, ut tenebrae sunt luminis defectus sive privatio: ita in primis usu venit, per tenebras mentis ipsum statum obscuritatis intelligere, in quo mens nostra rem minus distinet, atque, si densiores fuerint tenebrae, ne clare quidem cognoscit. Hinc WOLFIUS: (ee) Obscuritas, inquit, atque defectus perceptionum est id, quod tenebrarum nomine in anima veuit: Et alii per obscuritatem idearum, sive per statum obscurarum idearum tenebras illas describunt.

§. XVIII.

De gradibus etiam luminis, quod saepe dicimus, facile constat. Lumen, in mundo hoc adspectabili obvium, vel magius est, vel minus: parque in mente humana ratio. Quo enim major est nostra attendendi; quo perfectior abstrahendi; quo exacti-

(ee) Loc. cit. §. 36.

actior limatiorque judicandi; denique quo exercitatio ratiocinandi facultas: eo plenius quoque ac lucidius inde exoriens lumen sit, oportet. Contra ea, quo quis majori in his singulis defectu laborat; et quo segnior de paranda cogitat medela: eo minori lumine mens gaudebit: majus ergo erit crepusculum, maiores quoque tenebrae. Hinc etiam est, ut non omnia in re aliqua eodem tempore satis distinguamus, et adsequamur; sed pedetentim in cognoscendo faciamus progressus, et, quae hac vice minus perspeximus, altera saepiusque repetita vice rectius perspiciamus. Saepius, quum omnia nos jam rimatos esse, et singula rei penetrasse atque tenere putamus, aliud per subsequentem edocemur experientiam. Spectat hic illud: *dies diem docet*, item quod *docendo discimus* (ff). Profecto, ut aliquid menti lucide adpareat, ut in aprico sit, ut sit sole meridiano clarissimus, multum saepe impendendae operae ante requiritur. Nihil jam dico de aeratum discriminine, zodiaci signis comparandarum, per quae sol scandit descenditque, ut vel augeatur, vel imminuat lumen. Nihil etiam addo de reliqua corporis mentisque conditione, de morbis, adfectibus, de aliisque, quae luminibus obstruunt. Neque hic alios cum aliis contendo: ut enim non omnes lumine naturali, ita nec omnes lumine mentis, eodem modo utuntur, fruuntur.

§. XVIII.

Atque his hactenus delibatis, facilius jam nihil erit, quam supra memoratas formulas et explicare, et intelligere. Quando enim in tenebris mentis adhuc versatus es, ita ut rem aliquam vel plane non, vel quasi per nebulam, minimaque ex parte

(ff) Comp. WOLFI der vernünftigen Gedanken von Gott, der Welt und der Seele des Menschen anderer Theil §. 59.

D

Ec. 10452 (6)

parte tantum cognoveris; jam vero incipis eam perspicere: tum oritur lumen in mente tua. Quodsi singula rei etiam magis penetras, oritur lumen majus. Es gehet einem ein Licht; auch wol ein grösseres Licht in der Sache auf: accidit enim, ut istae loquutiones, cum cognatis, singulariter in germanorum linguam reciperentur. Cel. WOLFIUS (gg) dixit hic: *animam illuminari*, idque eatenus obtinere docet, *quatenus ea adquirat facultatem res clare percipiendi*, ut *sibi conscientia sit ejus, quod percipit, atque ea, quas percipit, probe a se invicem distingnat*. Idem subjunxit, *se terminum sumere non in sensu theologico, sed philosophico, qui cum communi loquendi usu conveniat*. Verum aut fallor ego, aut primum nulla caussa adest, cur de *illuminatione quadam philosophica* differamus; nec deinde communis usus tulit ita loqui. Maneat ergo terminus rei sanctiori, cui per ipsas sacras litteras destinatus est: servetur theologiae, cui adhuc proprius fuit. Omnis, quae fit reminus postulante, novatio parum certe, quemadmodum utilitatis, ita laudis habere dicenda est: interdum et confusionis atque offenditiois aliquid habet. Terminis autem *illuminari ac illuminationis omnino nos in philosophia carere posse*, nemo temere negaverit.

§. XX.

Quid sibi jam velint loquutiones: *Einem Licht geben; Licht bekommen; Schon Licht haben; Schon mehr Licht haben, pluribus addere opus non est, quum ex dictis sensus omnino pateat*. Latine dicimus cum TULLIO: *Cognitionem rei dare, cognitionem rei accipere, cognitionem rei habere: Qui tamen et dixit (hh). Vos mihi in tantis tenebris clarissimum lumen praetulistis. Quum vero celeb.*

(gg) Psychol. empir. §. 35.

(hh) pro Syll. 74.

FORMULÆ AF LOUVENDI

Æt 27

celeb.¹ WOLFIUS ita: (ii) Wenn unsre Gedanken klar sind; so sagen wir, es sey licht oder helle in unserer Seele: Et paulo post: Daher verstehen wir nun auch, was die Redensarten haben wollen, Es beginne in uns licht zu werden, imgleichen, es ist in mir noch ganz finster: fas erit fateri, has, quas ille germanorum formulas esse, perhibet, parum usitatas videri, minusque communes. Dicunt tamen germani: Es ist mir noch dunkel; et reliquæ a nobis adductæ formulae omnino frequenter sunt, longeque notissimæ. Solent et, ubi obscuritatem animadvertisunt, exclamare nonnulli: *Fiat lux!* Verum sanctior est ea loquutio, et omnino reverentior habenda, quam ut profana adhibeatur licentia. Jamque de his satis! Quare et praesentis tractationis hic faciemus

FINE M.

(ii) Vid. Die vermünftige Gedanken von Gott, der Welt, und der Seele des Menschen cap. 3. §. 203. 204.



E. 10452 (6)

ГЛАВА ТРЕТЬЯ
О ПОСЛАННИКАХ И МИЛОСЕРДИИ
БОГА
СЛОВО СВЯТОГО АПОСТОЛА ПАВЛА
К РИМЛЯНОМ
ОБЪЯСНЕНИЕ
О ТОМ КАК БЫТЬ ПОСЛАННИКАМ
БОГА
СЛОВО СВЯТОГО АПОСТОЛА ПАВЛА
К РИМЛЯНОМ
ОБЪЯСНЕНИЕ
О ТОМ КАК БЫТЬ ПОСЛАННИКАМ
БОГА

М Е И Л

О АИ СЕГО ПОСЛАНИЯ ГЛАВЫ ВСЕГО ПЕЧАТЬ
СЛОВО СВЯТОГО АПОСТОЛА ПАВЛА
К РИМЛЯНОМ
ОБЪЯСНЕНИЕ
О ТОМ КАК БЫТЬ ПОСЛАННИКАМ
БОГА







Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn822028999/phys_0036](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn822028999/phys_0036)

DFG

s, nisi per se satis clara sint, rogitet; III. quae con-
per modum consequentiarum disponat: regnat enim
maxime oppugnatio indirecta, et *κατ' αὐθεντο-*
*να*uestiones ut constanter procedat, opus non est:
thodus socratica, et ad dialogos proxime accedit. (m)
is autem quodnam est munus? I. Cavendum ei est,
espondeat; respondendum autem accurate. (n) II.
ndendo libertate utetur, non *τρέπεσθαι*; candidate au-
aliter mentem aperiet (o). II. *τρέπεσθαι* quasi uni-
e complectitur, dividat, *τρέπεσθαι* *τρέπεσθαι*
facilis in hoc genere, er-
rrogationum. III. in c-
ne alter, statum ger-
extra cancellos egr-
llacia *έτερος γένος*
ere variis illust-
raque parte
ditas patebit.

o latius dig-
est significare.

circa has regulas J. CLEMENS
VII. citatis.

anac regulam QUINTILIANUS, et *ad oratio exemplo*
illustrat instit. orat. lib. V. c. XI. p. 243. edit. ge-
7.

inc olim rigorose nimis, quin sophistice latam esse, vi-
oud GELLUM in noct. attic. lib. XVI. c. II. Licet sane
ti sententiam suam plane pleneque edissere: quod
concessit.

